

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 702

**Auteur(s) :** Henri, Le Tréport, Saint-Michel (abbaye, abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Gosselin Tirlet [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1229

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fiefferme, par les moines du Tréport à Gosselin Tirlet, d'une terre sise à Sangroy

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CXLV, p. 163-164.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis Henricus, Dei gratia Sancti Michaelis de Ulteriori Portu dictus abbas, totusque conventus ejusdem loci, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos, de communi assensu capituli nostri, dedimus et concessimus in perpetuam hereditatem Goscelino Tirlet, pro suo servitio, tredecim jugera terre quam excambivimus cum monachis de Bosco, quam dicti monachi tenere solebant de magistro Gilberto Goscelin, que terra sita est juxta queminum qui tendit de Augo apud Sanrei, cum masura Rogerii de Sotteville sita in Ima Britannia, tenendam de nobis dicto Goscelino et heredibus suis et jure hereditario possidendam pro XL solidis turonensium annuatim nobis reddendis ; de quibus, assignavit nos dictus Goscelinus de XXXIII solidis percipiendis, singulis annis, apud Ulteriorem Portum : in masura Abrahe Maton, sita ante domum suam, sex solidos ; in masura Nicholai Fornarii, sita juxta domum Ancelli le Bot, X solidos et sex denarios ; in masura Benedicti de Ulteriori Portu, sita juxta masuram Gisleberti Belin, VIII solidos ; in masura Maesmart, sita juxta domum Gisleberti Joart, quinque solidos et sex denarios ; in masura Wimberti, filii Humfredi, sita juxta masuram Ermengardis Lalate, quatuor solidos ; et de his XXXIII solidis nos dictum Goscelinum et heredes suos quitavimus, ita tamen quod, si quis super his nos inquietaverit, dictus Goscelinus et heredes sui nobis garantisabunt. Et nos antedictam terram, cum masura, dicto Goscelino et heredibus suis garantisabimus, pro sex solidis turonensium quos inde reddent nobis singulis annis, ad festum Natalis Domini, pro omnibus servitiis et aliis querelis, excepto tantummodo quod venient semel in anno ad placita nostra tenenda apud Ulteriorem Portum, cum [.....] submoniti fuerint. Et inde fecit nobis dictus Goscelinus homagium. Et sciendum est quod dictos sex solidos tantummodo pro emenda nostra capiemus. Quod ut ratum apud posteros illibatumque permaneat, ad petitionem nostram et ipsius Goscelini, major Augi et scabini presentem paginam sigillo communie sue confirmaverunt. Actum anno gratie M°. CC°. vicesimo nono. Testibus his : Rovelino de Rue, tunc majore, Nicolao Ade, Gaufrido Torneveel, Ing. Pujoise, Hugone Wastel, tunc scabinis.